

eibo aut lacte, coque glutinoso; evacuabant sursum insignem copiam viscidī tenacissimi glutinosi; curantur omnes vomitorio aut *Animā rhabarbari*, sed mox ab evacuatione, *Laudani* liquidī ferē nihil. Si laudanum absque progressā evacuatione propinetur, cessat quidem febris, sed tussis sicca evadit molestissima; si Rheon absque laudano, melior evadit febris, sed continuat; si utrumque, soluta febris intrā 6 horas.

Loeflingius, meus discipulus optimus, periit in Americā, magno meo cum dolore; certum est quod nullus apertioribus oculis viderit unquam Americam. Ejus nova genera accepi, et unā cum litteris ejus edere decrevi, eodem more quo Hasselquistii opus prodiit. Mirum quōd plantæ ejus Brasilienses adēdō conveniebant cum Brownii Jamaicensibus, ut pleræque eādem sint.

Prodiit apud nos antē annum libellus, auctore Virgen, qui docet æstate serere *avenam* et eam diligenter reseccare ne floreat, certō promittens proximo anno *secalem* mirā metamorphosi, quod per plures annos se instituisse sanetē fatetur: milleni nostratūm itaque præteritā æstate instituere experimentum. In quo omnium animi intenti videantur naturæ consulti, qui hæc non novēre, et negant transmutationem specierum. Quotidiē in novellis alii œconomici insurgunt, qui asseve-